



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Capitvlo Toletano.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

pendendo. Quia verò ipsæ parrochiales Ecclesie in procuratione ab antedictis Episcopis prætaxata nimis, sicut asseritur, aggravantur, ipsis injunximus ut si constaret eisdem procuracionem ipsam prædictis Ecclesiis existere onerosam, nisi tu ab ipsis commonitus ad æquum volueris condescendere moderamen, ipsi pensatis facultatibus earundem procurarent eam sublato appellationis obstaculo moderari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ diffinitionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc &c. usque incursum. Datum Laterani 111. Nonas Martij, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

ABBATI ET MONACHIS
Rotonenfibus.

Epist. 8.
Super eodem.

Cum venerabilis frater noster Venetensis Episcopus movisset olim adversus Rotonenfe monasterium quæstionem, asserens monasterium ipsum ac parrochiales Ecclesias ejus ad se de communi jure spectare, utpote in sua dioecesi constituta, in eisdem jura sibi episcopalia vendicando, & ex parte vestra proponeretur idem monasterium &c. ut in alia usque pronuntiaverunt eandem ad jurisdictionem Episcopi sicut alias suæ dioecesis Ecclesias pertinere, nihilominus statuentes ut à sex parrochialibus Ecclesiis monasterij quatuor procuraciones duntaxat eidem Episcopo præstarentur, quarum unam perciperet &c. usque recipiant Capellani. Porro cum vos super &c. usque apostolicæ sedis Legati detulissetis postea quæstionem, asserentes illud in Romanæ Ecclesiæ præjudicium, ad quam idem monasterium &c. usque non obstante illud nullatenus servaretis. Cum autem propter hoc nuper dilectus filius magister Rollandus ejusdem Episcopi & P. monachus monasterij vestri procuratores &c. ut in alia usque pronuntiavimus monasterium vestrum in capite liberum & ab Episcopi jurisdictione prorsus exemptum &c. usque antedicto Episcopo diocesana lege subiectas, venerabili fratri nostro Turenensi Archiepiscopo & dilecto filio Abbati Salmuriensi &c. ut in alia usque onerosam, nisi præfatus Episcopus Venetensis ab ipsis commonitus ad æquum voluerit condescendere moderamen &c. ut in alia usque in finem. Datum ut in alia.

Scriptum est ipsis super hoc in eundem serè modum usque moderamen. Nullis litteris obstantibus, si quæ apparuerint à sede apostolica præter assensum partium impetratæ. Quod

Tom. II.

si non omnes &c. duo vestrum ea nihilo minus exequantur. Datum ut in alia.

CAPITVLO TOLETANO.

Examinata fides & probata devotio qua se nobis dilectus filius Andreas de Gabiniano Subdiaconus & Capellanus noster carum exhibuit hactenus & jugiter exhibere non desinit nos inducit ut ad sua commoda promovenda tanto sibi specialius assistamus quanto manifestius hoc exigere sua merita dinoscuntur. Hinc est quòd cum placuerit dudum venerabili fratri nostro Roderico Archiepiscopo, dilecto filio Hispano Decano, & concanonicis vestris qui cum ipso erant apud sedem apostolicam constituti, ipsum ad preces nostras in fratrem & Canonicum recipere coram nobis, nos id tanto gratum habuimus & habemus quanto Subdiaconus ipse pro suæ merito bonitatis nobis & fratribus nostris carus & acceptus existit. Cum igitur ex hoc non minus Ecclesia in persona quam personæ in Ecclesia credamus esse provissum, universitatem vestram rogamus attentius & monemus, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes quatinus quod per ipsos liberaliter factum est hilari prosequentes favore, dictum Subdiaconum per procuratorem suum in corporalem possessionem concessi sibi canonicatus inducere procuratis, & cum ad locum residentium sit receptus, vestiarium & alia quæ percipiunt residentes, per eundem procuratorem sibi cum integritate debita conferatis juramento quod fecisse dicimini non obstante, cum illud mandato nostro nec debeat nec possit obtare. Taliter autem preces & præceptum nostrum super hoc studeatis implere quòd & idem Subdiaconus, qui vobis & Ecclesiæ vestræ in multis esse poterit fructuosus, ad dilectionem vestram ferventius possit astringi, & nos devotionem vestram exinde valeamus non immeritò commendare. Datum Laterani Kal. Martij, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

Epist. 9.
Ve procuratorem sui Subdiaconi mittant in possessionem canonicatus.

HISPANO ECCLESIAE
Toletane Decano.

Placuit venerabili fratri nostro Roderico Archiepiscopo ac tibi, fili Decane, & Canonicis Toletanis qui cum ipso erant apud sedem apostolicam constituti, dilectum filium Andream de Gabiniano Subdiaconum & Capellanum nostrum ad preces nostras in fratrem & Canonicum recipere coram nobis. Quod nos tanto

Epist. 10.
Super eodem.

Fff ij